

nem divinam hic in complementum motivi fiduciae adjungendam censemus. Nec refragatur nobis D. THOMÆ auctoritas hic q. 17. a. 4. in 9. *Spes duo respicit, scilicet bonum quod obtinere intendit, et auxilium per quod illud bonum obtinetur; bonum autem quod aliquis sperat obtinendum, habet rationem cause finalis, auxilium autem, per quod aliquis sperat illud bonum obtinere, habet rationem cause efficientis*: cum hic quæstionem nostram et sub his terminis non tractat, uniceque probat quod bonum speratum habeat rationem cause finalis, respectu virtutis spei ut prosequentis et emitentis illud assequi, auxilium vero divinum rationem causæ efficientis, respectu assecutionis ejusdem boni; quin neget auxilium esse id, ex cuius consideratione assurgat voluntas in spem, et fiduciam habeat: in Quæstionibus enim disputatis q. un. de spe, a. 1. in Conclus. aperte pro nobis definit scribens: *Sicut formale objectum fidei est veritas prima, per quam sicut per quoddam medium assentit (intellectus) his, quæ creduntur... ita etiam formale objectum spei est auxilium divinæ pietatis et potestatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata, quæ sunt objectum materiale spei.* Atque his similia ibid. ad 4. et a. 4. repetit: quid? quod loco supra objecto a. 1. statuit, spem nostram attingere ad ipsum Deum, cuius auxilio, nempe ut objecto formalis, innitur. Ubi vero non adeo diserte divinam in promissis fidelitatem adjungit, vel de spe minus adæquate nec secundum perfectionem certæ fiduciae sumpta loquitur, vel potentiam Dei auxiliariem promissione obligatam intelligit; quo postremo sensu etiam accipi debet illud Ps. 20. *Rex sperat in Domino et in misericordia Altissimi non commovebitur*: spem enim formaliter immobilem non facit misericordia Dei secundum se et inclinationem duntaxat ad bona concedenda exprimens, sed promissionis obligatione et fidelitatis vinculo determinata.

230. *Observa II.* Spem esse virtutem a charitate distinctam, satis probat duplex distinctionis signum, separabilitas scilicet et relationis oppositio. Liquet id præterea ex objecto formalis utriusque, cum spes secundum formalitatem amoris ac desiderii pro motivo respiciat bonitatem Dei *respectivam*, charitas autem *absolutam*. Veritati huic ab omnibus alias receptæ duplex Auctorum quorundam genus repugnat. Alii enim amorem Dei *ut nobis boni*, viti et male mutati ordinis insimulant, adeoque vel spem virtutem negant, vel cum charitate confundendam jubent; sed contra hos agetur, ubi de spei honestate. Alii e contrario contendunt, nihil posse a nobis amari, nisi illud sit nobis bonum; cum non sufficiat rem amandam esse simpliciter et absolute bonam, sed requiratur ut amanti sit bona et conveniens; adeoque charitatem a spe distinctam esse fictitiam: verum et hoc, ubi de charitate loquemur, facile diluetur, et objectio allata sophismate laborat: si enim per voces illas, *nolis bonum et conveniens*, intelligatur quod res amata debeat pollere virtute amantem perficiendi, aut amans debeat esse ordinatus ad rem illam, vera omnino est propositio: si autem sensus sit, rem illam, ut ametur, semper referri oportere ad ipsum amantem tanquam ad finem, propositionis falsitas tum ex obviis exemplis tum ex *infra dicendis* perspicua est.

CAPUT II.

DE PROPRIETATIBUS ET AFFECTIONIBUS SPEI.

ARTICULUS I.

AN ACTUS SPEI THEOLOGICÆ SIT SUMME CERTUS?

231. *Nota.* Inter spei proprietates est *certitudo: honestas et necessitas* ejusdem affectiones dicuntur. *Certitudo* alia est infallibilitatis seu indefectibilitatis a vero, altera firmitatis seu indubitabilitatis. Prior *formaliter* nequit haberi in actu spei et ratione sui, sed denominative tantum et participative ab actu intellectus, a quo dirigitur, ut docet D. THOMAS hic q. 18. a. 4. *Certitudo invenitur in aliquo dupliciter, scilicet essentialiter et participative: essentialiter quidem invenitur in vi cognoscitiva; participative autem in omni eo, quod à vi cognoscitiva movetur infallibiliter ad finem suum.* Atque haec spei certitudo participata vocari etiam potest *infrustrabilitas*. Posterior, quantum *precise* dicit firmitatem et adhæsionem actus ad suum objectum, non actibus dumtaxat intellectus sed et voluntatis convenit, cum hoc uno discrimine, quod *firmitas intellectus* excludat dubium et fluctuationem intellectus, voluntatis autem *firmitas timorem ac voluntatis fluctuationem*. Præterea, cum spei certitudo ex actu intellectus prævio dependeat, adverte debet circa objectum materiale spei duplicitem Dei promissionem haberi, alteram *absolutam* de auxiliis supernaturalibus saltem sufficientibus, alteram *conditionatam* de beatitudine adultis conferenda, si nempe hi serio et efficaciter auxiliis ejusmodi cooperentur; atque hinc illam promissionem essentialiter esse *infrustrabilem*, hanc vero sepius frustrari, non quidem ex defectu infallibilitatis et virtutis divinae, sed ex hominis defectu, nec posite ab eo conditionis. Porro secundum haec Catholici omnes distinguunt tum inter objectum spei tum inter ejus certitudinem, quantum respicit vel Deum vel nos; cum e contra *Novatores*, qui existimant fidem esse certam animi fiduciam, qua unusquisque indubitanter sibi applicat promissiones futuræ beatitudinis generatim factas, statuant unicuique firmiter esse sperandum, seu in erronea eorum phrasí, credendum, se esse ex numero prædestinatorum ac certo salvandum. Contra quos

232. *Dico I.* Actus spei theologicæ, quantum *ex parte Dei*, est summe certus seu *infrustrabilis*, et summe firmus seu *excludens omnem timorem*.

Prob. 1^a. p. Ad Rom. 3. 3. Spes non confundit; Ps. 24. 3. Qui sustinent te, non confundentur; et Eccli. 2. 11. Scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est; 2. ad Tim. 1. 12. Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare. Unde sic arguere licet: si spes ex parte Dei non foret summe certa, suo quandoque frustraretur effectu, aut frustrari certe

posset; si nempe Deus creaturis suis deesset; adeoque spes confunderet, et confunderentur ii, qui sperant in Domino, nec Apostolus certus esse potuisse: sed enim hoc repugnat cit. textibus; ergo.

Conf. Actus voluntatis est denominative ac participative certissimus, qui dirigatur ab actu intellectus summe certo ad infallibili; sed actus spei theologicæ, in ordine ad Deum spectatus, dirigitur ab ejusmodi actu intellectus, scilicet a *fide divina*, qua sperans credit Deum absolute quidem collatum auxilia sufficientia, et conditionate beatitudinem; tum quia spes supernaturalis ab eadem fide connaturaliter dependet, secundum illud ad Hebr. 11. 4. *Est autem fides sperandarum substantia rerum: tum quia hoc ipso, quod Deus aliquid promisit, potest homo ac tenetur credere rem promissam esse futuram, vel absolute vel conditionate, prout sensus est promissionis;* ergo.

Prob. 2^a. p. Ad Hebr. 6. 18. *Per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Ps. 124. 1. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebitur in æternum* etc. Unde TRID. Sess. 6. c. 43. inquit: *In divino auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Firmitas autem ejusmodi deliberatum saltem timorem non compatitur;* ergo.

Conf. Ille actus est affective et appretiative *super omnia firmus*, qui habet motivum formale super omnia infallibile; desumit enim firmitatem a motivo, cui innititur: sed actus spei theologicæ habet tale motivum formale; ergo. Adde paritatem cum fide, de qua S. THOMAS hic q. 17. a 6. in 6. *Spes autem et fides faciunt hominem inhærere Deo, sicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proveniunt.* De Deo autem provenit nobis et cognitio veritatis et adeptio perfectæ bonitatis. *Fides ergo facit hominem Deo adhærere, in quantum est nobis principium cognoscendi veritatem: credimus enim ea vera esse quæ nobis a Deo dicuntur.* Spes autem facit Deo adhærere, prout est nobis principium perfectæ bonitatis, in quantum scilicet per spem divino auxilio innitimus ad beatitudinem obtainendam.

253. *Dico II.* Actus spei theologicæ, quantum *ex parte nostra*, et prout involvit absolutam exspectationem beatitudinis, seclusa speciali revelatione divina, nec est summe certus vel participative frustrabilis, nec summe firmus vel excludens timorem.

Prob. 1^a. p. Eccles. 9. 1. *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta.* 1. ad Cor. 10. 12. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Ergo cum absolutus nostræ salutis eventus dependeat ex fidei et gratiae perseverantia, aliquis nostris meritis per modum *conditionis* ad coronam glorie requisitus; sicut de his certi et infallibilis non sumus, sic nec spes nostra est frustrabilis. Unde TRID. Sess. 6. c. 12. *Nemo, inquit, quandiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero prædestinorum.... Nam, nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.* Et Can. 16. sic statuit: *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum, absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.*

Conf. Promissio divina de danda nobis beatitudine, seclusa speciali revelatione, est solum *conditionata*, et quidem sub conditione fallibili; quia facta duntaxat est a Deo sub conditione præsertim perseverantiae finalis, ut ex innumeris Scripturæ testimoniis liquet: hæc autem non est certo, sed solum probabilitate futura; ergo spes, prout includit exspectationem beatitudinis *absolute* futuræ, nequit esse summe certa et frustrabilis; tum quia spes, secundum præsens objectum, dirigitur duntaxat per judicium probabile de absoluta futuritione beatitudinis, a quo denominari nequit certa: tum quia, licet præsupponatur actus fidei de futuritione conditionata beatitudinis, conditio tamen est incerta et frustrabilis.

Prob. 2^a. p. Spes theologica obtainende beatitudinis non solum potest, sed et debet, seclusa speciali revelatione, simul componi cum timore supernaturali de ea non obtinenda, juxta illud ad Philipp. 2. 12. *Cum metu et tremore vestram salutem operamini;* ad Rom. 11. 20. *Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time;* ad Cor. 4. 4. *Nihil mihi conscient sum; sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est.* Unde TRID. Sess. 6. cap. 9. inquit: *Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest.* Cap. 13. *Formidare enim debent, scientes quod in spem gloriae, et nondum in gloriam renati sunt, de pugna quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo.* Cap. 16. *Quia in multis offendimus omnes; unusquisque sicut misericordiam et bonitatem, ita severitatem et judicium ante oculos habere debet, neque seipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscient fuerit, judicare, quoniam omnis hominum vita non humano judicio examinanda et judicanda est, sed Dei etc.* Ergo hoc ipso spes ista, quantum *ex parte nostri*, et prout involvit exspectationem absolutam beatitudinis, nequit esse summe firma, speciali revelatione absente.

Conf. Objectum formale *secundarium* spei sunt propria auxiliis divinis cooperatio, et alia supra recensita, quibus innixa non excludit timorem; tum quia hec media non inferunt infallibiliter salutem, quia perseverantiae donum, licet impetrari orando queat, juxta D. TU. 1. 2. q. 114. a. 9. et communem Theologorum sententiam, sub meritum nec proprium et condignum, nec infallibile cadit: tum quia viator adultus, seclusa revelatione speciali, nequit esse infallibiliter certus quod aut hec media, cum effectu gratiae sanctificantis in presenti et gloria in futuro, adhibuerit, aut ob potentiam resistendi gratiis divinis et voluntatis defectibilitatem in posterum sit adhibitus; ergo. Adde quod, si spes ex parte nostri foret absolute certa, posset ac proin teneretur quilibet certo credere, se esse ex prædestinorum numero; sed consequens est contra ipsa Novatorum placita, quibus persuasum omnino est nec omnes etiam ex ipsis esse electos; ergo.

254. *Obj. cont. 1^{um}.* Spes, quantum etiam respicit Deum, pro motivo formalis debet habere Deum *auxiliatorem* in ordine ad beatitudinem reipsa obtainendam: sed spes nixa tali motivo, nequit esse summe certa et frustrabilis; cum certum non sit an Deus sit datus perseverantiae donum, et hinc nos adjuturus in ordine ad beatitudinem reipsa obtainendam; ergo. *Conf.* Qui sperat beatitudinem, debet habere fiduciam de ipsa beatitudine

absolute obtainenda : sed qui spe sua respicit Deum, sperat beatitudinem ; nec tamen potest habere fiduciam illam cum summa certitudine ; ergo.

R. D. m. Spes talis nequit esse summe certa, quantum respicit Deum absolute daturum auxilia sufficientia, et etiam beatitudinem ex hypothesi positarum per hominem conditionum N. quantum respicit nos et nostram cum auxiliis cooperationem, aut absolutam beatitudinis collationem C.

Ad Conf. R. D. M. Qui absolute atque sine omni conditione sperat beatitudinem, debet habere fiduciam etc. C. qui conditionate tantum ac sub hypothesi sua simul cooperationis factae vel facienda sperat beatitudinem N. vel subd. debet habere fiduciam ex omni parte summe certam N. secundum quid, nempe secundum primarium suum motivum, certam C. Qui Deum spe sua respicit, conditionate tantum non autem absolute obtainendam beatitudinem respicit : et fiduciam habet probabilem duntaxat secundum motivum *secundarium*, quod est propria cooperatio ; certam tamen secundum *primarium*, seu Dei auxilium et promissionem.

Inst. Ad hoc ut spes sit *summe firma* affective, debet excludere omnem timorem deliberatum de opposito, seu de non obtainenda beatitudine ; quia in tantum datur firmitas affectiva voluntatis, in quantum excluditur formido de opposito ; oppositum autem spei est non consecutio beatitudinis : sed spes hunc timorem non excludit ; ergo. Conf. Licet timor servilis et supernaturalis adhaerat Deo, et sit appetitiva super omnia firmus, secundum illud Matth. 10. : *Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* ; non tamen debet esse affective super omnia firmus ; ergo idem dicendum est de spe.

R. D. M. Ad hoc ut spes sit summe firma simpliciter et secundum omnem formalitatem, debet excludere omnem timorem deliberatum de opposito C. ut sit secundum quid, nempe secundum formalitatem solum fiduciae primariae ad Dei auxilium terminate, debet excludere etc. N. Spes nempe theologica excludit timorem, secundum quam partem est *summe firma*, habetque sibi praeluentem fidem ; non vero secundum quam nec firma est, nec nisi probabile judicium praevium agnoscit.

Ad Conf. R. N. Cons. *Disparitas* est, quia voluntas per timorem servilem fugiendo eternam peñam, per illam præcise ac proprie loquendo Deo non adhaeret *affective*, sed tantum *effective*, quatenus per timorem a peccatis committendis retrahitur, et ad penitentiam de commissis agendam impellitur ; adeoque nec *affective* summus est : e contra spes proprie et *affective* adhaeret Deo.

233. Obj. cont. 2^{um}. Actus spei, prout dicit *expectationem beatitudinis*, fundatur in fide supernaturali de Deo remuneratore ; ergo sicut fides haec est infallibilis, sic etiam spes illa est summe certa ; cum ob similem fidei conditionem de Deo auxiliatore spes, ut dicit fiduciam in auxilia divina, sit summe certa. Conf. In homine predestinato non solum actus fidei remote precedens, sed etiam judicium de sua cooperatione et futuritione salutis est certum et infrustrabile ; ergo et spes in iis fundata.

R. D. A. Actus spei, prout dicit *expectationem beatitudinis*, fundatur proxime et immediate in fide de Deo remuneratore N. remote solum et mediate C. Quia divina promissio beatitudinis est solum *conditionata*, ipsaque bea-

tudo, ut corona, exigit meritorum perseverantiam, spes beatitudinis absolute consequendæ immediate ac proxime dirigiri debet a judicio de futuritione cooperationis et perseverantiae finalis ; quod cum absque speciali revelatione divina sit solum *probabile*, probabilem duntaxat spem etiam infert. Unde et discrimen inter fiduciam expectationis *beatitudinis* et expectationis *auxiliarum sufficientium* desumitur.

Ad Conf. R. D. A. In homine predestinato etiam judicium de cooperatione propria et futuritione salutis est infrustrabile ab intrinseco, seu spectata sua entitate N. solum ab extrinseco, seu ratione predestinationis divinæ C. Licet igitur spes etiam hujusmodi possit *extrinsece* certa dici, non tamen infallibilis est *intrinsece*, aut ratione judicij a quo dirigitur.

Inst. Fides theologica supernaturalis est simpliciter summe firma, licet solum sit *moraliter* certum revelationem divinam existere ; ergo et spes theologica potest esse simpliciter firma, etsi quis tantum morale aliquam certitudinem de sua cooperatione ac salutis futuritione habeat. Conf. Etiam fide certum est quod Deus omnibus adultis det auxilia sufficientia ad sapienter perseverandum aut poenitendum : perseverantibus autem aut poenitentibus sit collaturns vitam aeternam ; ergo in hac fide fundari potest firmitudo spei de beatitudine.

R. 1^o. N. supp. Cons. Vel enim solum *probabiliter* futura est cooperatio propria ac perseverantia finalis, vel si qualiscumque etiam admittatur circa illam certitudo, talis tamen non est, qualem signa credibilitatis de fidei nostræ mysteriis generant, quae prudens dubium de opposito excludunt.

R. 2^o. N. Cons. *Disparitas* est, quia signa credibilitatis de revelationis existentia, ex dictis, sunt motivum fidei solum mediatum et extrinsecum, et fides suam certitudinem trahit ab ipsa infallibilitate Dei exercite suam auctoritatem et loquelam revelantis : cooperatio autem et perseverantia finalis sunt motivum tum proximum tum intrinsecum exspectationis absolutæ beatitudinis ; ergo licet haec *moraliter* utcumque certa forent, tamen summam certitudinem spei non possent praestare.

Ad Conf. R. D. A. Et simul etiam est certum adultos bene usuros gratis sufficientibus, ac illis collatum iri donum perseverantiae N. est hoc omnino incertum C.

236. Observa. Quamvis ex dictis spes respectu nostri summe certa dici nequeat, eam tamen *simpliciter* et *absolute* certam esse dicendam, constat tum ex auctoritate D. THOMÆ hic q. 18. a. 4. ad 2. et 3. ; tum quia res quælibet estimari et denominari debet ex iis quæ sunt ei propria, non vero ex his quæ ipsi per accidens adveniunt : certa autem est spes in ordine ad suum motivum formale, et sic secundum suam substantiam, cui non repugnat timor, incertitudo ac fluctuatio, quæ nostram spem comitantur, cum non ex ipsa spe, sed ex pravitate cordis et defectu liberi arbitrii humani, vel ex anxietate nascantur. Quin timor iste adeo non remittit spem nostram, quasi sit incerta, ut illam potius acuat, et ad Deum confugere impellat ; quia dum timemus ne ipse nos deserat, aut propter peccata a se rejiciat, primum est recurrere ad eumdem, cujus natura est bonitas omnipotens, et opus misericordia ; juxta illud Ps. 413. 41. *Qui timent Dominum, speraverunt in Domino : adjutor eorum et protector eorum est.*